



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

[100.] Maximilianus I. Imp. Carolum Croyum ex Comite creat Principem  
Chimacensem, an. 1486.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Et nihilominus omnibus & singulis, nunc & pro tempore in dicto monasterio seu cœnobio degentibus fratribus & personis, ut omnibus & singulis priuilegijs, indulgentijs, libertatibus, exemptiōbus, gratijs & indultis, alijs monasterijs & domibus, ac personis p̄fati ordinis Cartusiensis per Sedem Apostolicam vel alias in genere vel in specie concessis, vti & gaudere possint & valeant, eadem au-  
toritate indulgemus: non obstantibus constitutionibus & ordina-  
tionibus Apostolicis ceterisque contrarijs quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ con-  
firmationis, approbationis, communionis, supplicationis & conces-  
sionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc  
attentare p̄sumperit, indignationem omnipotentis Dei & beato-  
rum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

1458.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae  
millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, quinto Idus  
Januarij, pontificatus nostri anno primo.

## N O T A T I O.

Cartusianorum monasterium, prope Bruxellam in agro olim si-  
tum, Calvinistæ euerterunt: estque nouum in ipsa vrbe cœnobium  
nostra memoria à fundamentis exstructum. Cartusianas nostras  
Origines, Coloniæ typis publicatas, plura si voles, lege.

## C A P V T C.

*Maximilianus I. Imp. Carolum Croym ex Comite creat  
Principem Chimacensem an. 1486.*

**M**A X I M I L I A N U S diuina fauente clementia Romanorum Rex,  
ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux  
Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia, Stiria, Carinthia, Carniola,  
Limburgi, Luxemburgi, & Gelriæ; Comes Flandriæ, Habsburgi,  
Tirolis, Ferretis, Kiburgi, Artesia & Burgundiæ; Palatinus Han-  
noniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ; Marcgrauius  
Sacri Romani Imperij, & Burgouïæ; Lantgrauius Alsatia; dominus  
Frisiæ, Sclauonij, portus Naonis, Salinarum & Mechliniæ, &c. No-  
bilis

bili CAROLO Comiti de Chimay, ex illustribus de Croy, descenditibus ex vera & legitima progenie seu origine Regum Hungariae, nostro & Imperij Sacri dilecto, gratiam regiam & omne bonum.

Illustris, fidelis, dilecte, et si regalis sublimitas, nec non eius circumspecta benignitas vniuersorum exaltationi studiosè consueuerit intendere, & ea quæ Republicæ conducibilia esse crediderit, pendere; ad illorum tamen sublimationem procurandam, priori & singulari quodam feruore inclinatur uberioris, quos firma constantia & inseparatae fidei diuturnitas, euidentibus testimonijis in conspectu regiae Maiestatis non mediocriter commendant.

Sanè consideratim multiplicibus & studiosis tuis & progenitorum tuorum obsequijs, & nobilium tuarum virtutum industrijs, quibus tu & progenitores tui, solida & integra probitate, cura peruigili, nobis & sacro Imperio Romano indefessè claruisse & complacuisse dignoscuntur, & in antea feruentius clarere & complacere poteris & debes, quanto maioribus honorum prærogatiis, larga nostra manu regali, te senties frugalius reiectum atque consolatum.

Ideoque regalis nostræ Maiestatis oculos, singulari quadam feruentia, in te gratosius dirigentes, te nosque utriusque sexus heredes, ac eorumdem successores legitimos, qui de lumbis tuis aut suis descenderunt, vel in posterum descendant, in veros Principes illustres Principatus de CHIMAY, Principum Sacri Imperij ad hoc accidente confilio, animo deliberato, auctoritate nostra regali, motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, in nomine Domini Salvatoris nostri, a quo omnis honor & potestas prodire dignoscitur, eleuauimus, ereximus, sublimauimus atque creauimus; prout eleuamus, erigimus, subleuamus, & creamus, auctoritate & potestate predictis;

Decernentes & hoc regali nostro edicto, quod tu & heredes tui, ac eorumdem successores legiti singuli utriusque sexus, ex lumbis tuis & suis nati & nascituri, ex nunc & in antea perpetuis temporibus, quandcumque & quotiescumque casus se obtulerint, titulum Principis illustris dicti Principatus de CHIMAY frui, nominari & appellari possitis, ac in dandis & recipiendis iuribus, & in conferendis seu suscipiendis feudis, ac in omnibus alijs conditionem & statum Principum illustrum concernentibus, teneri, honorari, & ubique ab omnibus reputari, atque privilegio, honore, gratia, dignitate

tate & immunitate frui possitis & debeatis, quibus alij sacri Imperij Principes illustres haec tenus, iure vel consuetudine, freti sunt; nostris tamen & sacri Imperij iuribus, auctoritate & superioritate in praemissis semper saluis.

Mandamus igitur omnibus & singulis Principibus ecclesiasticis & secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, Officialibus quibuscumque, Capitaneis, Burggrauis, Potestatibus, Ancianis, Gubernatoribus, Praesidibus, iudicibus, Regibus armorum, Haraldis, personandis, ciuitatum, opidorum, villarum & locorum communitatibus, ceterisque nostris & Imperij sacri fidelibus dilectis, cuiuscumque status, gradus seu conditionis existant, tam in Imperio sacro, quam alibi vobislibet constitutis,

Quatenus te & heredes tuos ac successores suos, utriusque sexus legitimos prefatos, illustres Principes nominent, intitulent & reuerentur, vosque dignis semper honoribus prosequantur, cunctis temporibus futuris, ad euitandam nostram & sacri Romani Imperij indignationem grauissimam, & quadraginta marcarum auri puri penas, quas contrafacentes, toties quoties contrafactum fuerit, ipso facto nouerint se irrenuissibiliter incursuros: quarum mediata regalis fisci seu aerarij, residuam verò partem, iniuriam passorum vobis decernimus applicandas.

Datum in ciuitate nostra Imperiali Aquisgrani, sub regalis nostri sigilli appensione, & testimonio litterarum, ipso die coronacionis nostrae Aquisgrani habita, anno Domini millesimo quadragesimo octuagesimo sexto, regni nostri Romani anno primo.

#### N O T A T I O.

**CHIMAY**) Chimacum, Hannoniae opidum, olim Comitatus, nunc Principatus titulo clarum.

#### C A P V T C I.

*Maximilianus I. Imp. Iacobum Croyum Episcopum Cameracensem  
creat Ducem Cameracensem, an. 1510.*

**M**A X I M I L I A N U S diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Dalmatiae